

ANN. XVII - FASC. VIII-IX

MENSE AUGUSTO ET SEPTEMBRI MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXX

Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

SANCTI AURELII AUGUSTINI

CENTENARIA COMMEMORATIO

Augusto hoc mense exeunte, obitus quindecies saecularis memoria occurrit illius episcopi Hippensis Augustini, Ecclesiae doctoris, cui ob peracuti ingenii vim, ob doctrinae ubertatem elationemque, ob sanctitatem ad tam sublime fastigium proiectam, ob invictamque catholicae veritatis defensionem, aut paene nullum aut paucissimos sane eorum comparaveris, qui ab humani generis initio usque adhuc floruerint.

Tagastae in Numidia humili loco natus, die XIII m. Novembr. a. CCCLIV, licet puer a Monica, piissima eius matre, caritate Christi incensus fuerit, adulescens tamen, quem ab ea abesset ethnicosque magistros audiret, de pristica remittens pietate, voluptatibus corporis infeliciter serviit, seque in Manichaeorum laqueos induit, quorum sectam novem ferme sequutus est annos, quasi Dei providentia qui «Gratiae Doctor» futurus esset, is experiundo disceret et posteritati traderet, quanta animus vel nobilissimus imbecillitate ac fragilitate laboret, nisi christiana institutionis praesidio et assiduitate precum in via virtutis firmetur, per eam

¹ Confess., I. 2, c. 2, n. 4.

² Confess., I. 7, c. 7, n. 11.

Iasset, nisi ab Pauli Apostoli epistolis aliquando didicisset, qui velit christiane vivere, oportere eum humilitatis fundamento divinaeque gratiae auxilio niti. Accidit enim ut quodam die inter orandum, praeteritae vitae admissa revocans et tot christifidelium exempla, qui vel omnium rerum iacturam facerent ut «unum necessarium» lucrarentur, subita voce perculsus fuerit: «Tolle et lege». Quum epistolarum codicem prope positum aperuisse, Pauli illud ante eius oculos cecidit: «Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis». ¹ Ex illo horae momento, Augustinus, eo usque donec animam afflavit, totus Deo se dedidit.

Atqui brevi apparuit, quale et ad quam illustria facinora sibi Dominus in Augustino comparasset. Qui, sacerdotio initiatus, posteaque episcopatu Hipponensi auctus, non tam Africae christiana quam Ecclesiae universae lumen praeferre copiosae doctrinae suae siue apostolatus beneficia impertire coepit. Meditari igitur ille sacros libros, diu multumque preces Domino adhibere, — quorum significaciones vocesque in eius scriptis adhuc resonant, — Patrum Doctorumque opera, qui eum antecesserant quosque demisso venerabatur animo, intentius perlegere, ut quotidie magis revelatas a Deo veritates intropiceret et calleret. Et quamvis posterior sanctis illis viris succederet, qui splendidissima veluti sidera catholico nomini illuxerant; quamvis eodem tempore, quo Hieronymus esset, maximam tamen humano generi admirationem commovet adhuc ob subtilitatem gravitatemque sentiarum atque ob iniram illam sapien-

¹ S. PAUL., ad Rom., XIII, 13-14. — Confess., lib. 8, c. 12, n. 29.

tiam, quam eius volumina, ducentorum prope et quinquaginta numero, per diuturnum sere quinquaginta annorum spatium confecta, redolent.

Atque primum in eo vehementer Augustinus elaboravit, ut mortales omnes perdisserent persuasumque haberent quis esset idemque supremus sibi praestitus finis, quaeque unice ad veri nominis beatitatem sibi via muniretur. Quo hominibus fine constituto, evincere contendit, quicumque ipsum assequi volunt, inane eorum coepit esse evasurum, nisi Ecclesiae catholicae subiecerint sese modesteque paruerint, quae una sit divinitus nata ad lucem virtutemque animis conferendam; qua qui caret, necessario de recta deflectit et in salutis aeternae discrimen facile praecipit agitur.

Religionis autem studium cum assidua actione atque animi benignitate simul et fortitudine consociavit; ita ut, si in magnis Africæ et vel universae Ecclesiae negotiis forti invictoque animo fuerit, at patrem gregi suo tam studiosum benignumque se praestiterit quam qui maxime. Contionari saepissime apud populum consueverat, aut depromptas plerumque e Psalmis, e Ioannis Evangelio, e Pauli Epistolis sententias, ad tenuiorum simpliciorumque hominum captum accommodate enucleando, autabusus et vitia corripiendo.

Ad disceptandum vel publice perpetuo paratus, si qua haereticorum commentaria ad se perferrentur, nullam interponere moram quominus ea singillatim refelleret, nec opinionum insulsitate nec disserendi spinis nec adversariorum pervicacia iniuriisque vexatus ac devictus. Sed nihilo secius, quamvis tam acriter pro veritate contenderet, hostium istorum emendationem, quos benevolentia et christiana caritate complectebatur, a Deo flagitare nullo tempore destitit; atque ex ipsis eius scriptis apparent, quanta cum demissione animi ac persuadendi vi eos alloqueretur.

In eo praeterea summa ope evitebatur, ut non solum peccatores Deo reconciliaret, pauperibus opitularetur et vel pro reis intercederet, verum etiam ut lites et iurgia componeret, quae de profanis rebus inter christifideles haberentur, anteposita scilicet saeculi fastidiis episcopalis caritatis exercitatione.

Quae quidem caritas animique magnitudo potissimum in summo rerum discrimine eluxit, quum, Vandalis Africam vastantibus, nihil sacerdotum dignitati, nihil sacris aedibus parcitum est. Haereticibus videlicet nonnullis episcopis ac presbyteris quid inter tot tantasque calamitates agendum sibi foret, Augustinus iam senex, quum unus ex iis sententiam rogasset, aperte rescripsit nulli sacerdoti, cuius ministerio fideles carere non possent, licere a populo quicquid esset evenitum, abscedere. Eius autem sollicitudo obtinuit ut Manichæi ad ovile Christi traherentur, Donati discidium seu schisma esse desierit, Pelagiani omnino disserentur.

Neque est praetereundum, vix ad Africæ oras appulit, de animis ad absolutiōnem perfectionemque vitae in religioso statu promovendis cogitare coepisse, et coenobium in praedio quodam suo excitasse, in quo constitutus, ferme triennio, et a se iam alienatis curis saecularibus, cum iis qui eidem adhaerabant, Deo vivebat, ieuniis, orationibus bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Sacerdotio autem auctus, aliud mox Hippone condidit in Ecclesiae vicinia coenobium; et cum Dei servis — (ita Possidius in eius vita) — vivere coepit secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, et distribuerentur unicuique, sicut opus erat. Postquam vero ad episcopalem dignitatem elatus est, quum nec sibi communis vitae beneficia

deesse nec omnibus Hipponensis Antistitis salutatoribus vel hospitibus patere monasterium vellet, in ipsa episcopali domo clericorum coenobium constituit, ea lege, ut, paternis bonis abdicatis, communiter vitam viverent, a saeculi quidem illebris remotam et lautitiae omnis expertem, non austriorem tamen atque asperiorem, et caritatem in Deum proximosque officia una simul exsequerentur. Sanctimonialibus autem, quas haud procul incolentes, sua ipsius soror gubernabat, legem dedit mirabilem, cum sapientiae, tum moderationis plenam; qua hodie reguntur religiosae bene multae utriusque sexus familiae, non modo quotquot Augustinianae nuncupantur, sed etiam quae a conditore cuiusque suo legem ipsam peculiaribus constitutionibus auctam accepere. Cuius quidem instituti perfectioris vitae, ad consilia evangelica traductae, seminibus apud suos iactis, non tam de Africa christiana quam de Ecclesia universa Augustinus meritus est. Quo in genere, adhuc ipso vivente, insigne coepit laetissimi consequiti sunt fructus; narratque Possidius, religiosos viros sane multos Patris legiferi, qui undique rogaretur, concessu, in omnes partes abiisse, ut quasi igne ab igne capto, et nova coenobia conderent et Africæ Ecclesias, doctrina et sanctitatis exemplo, iuvarent.

Sic monita omnibus ex partibus confirmans exemplo, Augustinus operosissimam vitam transivit, et in urbe sui honoris sede, a barbaris obsessa, Pastor magnanimus, qui cum populo suo manserat, animan Deo reddidit iv kalend. Septembr. anno post Chr. n. ccccxxx.

Non valde gaudere debemus quando laudamur,
nec contrastari quando vituperamur; quia nec de-
pravare iniuriam, nec coronare potest laus.

S. AUGUSTIN. in Epist.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De nominibus substantivis eleganter addendis.

Latini quaedam substantiva addunt:
1º ut vitetur amphibolia, 2º ut elocutio magis perspicua ac circumscripta evadat,
3º ut numerosa fiat oratio, 4º ut dicendi legibus obtemperet. Quod ex regulisque sequuntur facile colligi poterit.

I. - Quum pronomina, adiectiva aut participia neutrius generis substantiae ponuntur, fit circumscriptio cum substantivo « res », in casibus ubi genus neutrum cum masculino congruit, ² v. gr.:

Putavi ea de re (= de eo) te esse admonendum (Cic., Fam., 4, 10).

Quis profitetur suum esse de omnibus rebus (= de omnibus) dicere? (Cic.).

Quibus rebus (= quibus) permota est civitas (Sall.).

Hostes, re nova (= novo) perterriti, constiterunt in foro (Caes.).

Rerum futurarum (= futurorum) scientia.

¹ Cfr. fasc. sup.

² 1) Haec circumscriptio interdum negligitur et omittitur, v. g.: *Unum* (= unam rem) te moneo. (Cic., Fam., 4, 10). Id fit praesertim: a) quum amphibolia nulla est; v. g.: *In his omnibus* quae... - Mscuit utile dulci (Hor.). - Quid stultius quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Cic.). - b) Quum ablativus usurpat, v. g.: *Uno* (= una re) te vicimus (Cic., Fam., IV, 4, § 3) - Quibus (rebus) confirmat muscens cum divinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam (Quint., 1, 11). - Non fuit *his omnibus* (rebus), iste contentus (Cic., De Supplic., LXVI, 170). Mortem *in malis* (rebus) ponit (Cic.). - Sed hoc fit quandoque et in ceteris casibus. At « res » tunc aut locum tenet substantivi specifici aut harmoniae numerique causa usurpat, v. g.: *Quae res* (= qui defectus) etiam nonnullam afferebat deformitatem (C. N., Ages., VII). - *Nulta res* (= nullus eventus) successerat (Caes.). - *Humanas res* (= humana) infra se positas arbitrari (Cic.).

Quis in rebus vel inveniendis vel diuidandis (= in inveniendis vel diuidandis) acrior Aristotele fuit? (Cic.).

II. - Nomi substantivo alterum apponunt substantivum, cui magis convenit notio adiectivi, ¹ v. g.:

Patrem tuum, fortissimum virum (= Patrem tuum fortissimum) (Cic., Fin., 2, 19, 62).

Parente P. Sestius natus est, homine et sapiente et sancto et severo (Cic.).

¹ Hinc nomina adiectiva quae laudem aut vituperationem significant nomini proprio immediate non adiunguntur; sed a) aut nomen appellativum apponitur, ut « homo, vir, adolescens, mulier... etc. ... »; v. g.: Socrates, homo sapientissimus - Corinthus, urbs nobilissima - Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea, virt̄ fortes et fideles (Cic., De Sign., XLIV, 96). - Heium, hominem maxime locupletem, minime avarum (Cic., De Sign., VI, 12); b) aut pronomen demonstrativum « ille » interseritur; v. g.: Sapiens ille Socrates - Fortissimus ille Achilles.

Attamen nomen adiectivum, si sit cognomen, nomini proprio apponitur, v. g.: Laelius sapiens - Sulla felix - Cato maior - Scipio africanus. - Nomina adiectiva quae nec laudem nec vituperationem significant nomini proprio apponi possunt; v. g.: Cotta saucius (Caes., De Bel. gal., 5, 36, 3). - 3) In epistolis et sermone quotidiano ac familiari, quodcumque adiectivum nomini proprio apponi potest; v. g.: Suavissimus Cicero (Cic., Ep., 14, 5, 1). - Dulcissime Attice (Cic., Att., 6, 2, 9).

2) Nomen substantivum « homo » additur, quoies adiectivi notio eluceat oportet: v. g.: Homo adolescentes, quum istius in inquirendo multa furta ac flagitia cognosset, fecit perite et callide (Cic., Verr., 1, 39, 97) - Homo servus (Cic., Verr., 3, 40, 91). - Ut mihi quidem admirari liberet in homine esse Romano tantam scientiam (Cic., De nat. deor., 1, 33, 91) - Homo Arpinas (Cic., Tusc., 5, 23, 66).

Ceterum adiectiva sic dicta « gentilicia » in singulari substantiae usurpare nefas est. - Adiectivum quod populum significat tunc solum in singulari substantiae poni potest, quum habet sensum collectivum, aut illustrum quamdam personam designat; v. g.: Romanus (= milites Romani) - Veiens (= Veientes) - Poenius (= Hannibal, aut alias Carthaginem dux). - Alteri quoque nominativo, quod attributum vocamus, quum illustretur oportet, non solum « homo » addunt, verum etiam alia substantiva; v. g.: Homo est impudens (Cic., De orat., 2, 68).

III. - Quaedam substantiva saepe usurpanter ad circumscribendum id quod sine illis brevius dici poterat. Hoc modo redundare videntur:

1º Genitivi « rerum » et « hominum »; v. g.:

Causas rerum et consecutiones videt (Cic., Fin., 2, 14, 47).

Quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit (Cic.).

Ignoratio rerum.

Tanto conventu hominum (Cic., Pro Arch., § 3).

Sicut opiniones hominum et religiones ferunt (Cic., Verr., 5, 72, 187).

Aut errore hominum aut timore (Cic., Brut., 2, 7).

2º Substantiva « ratio », « genus » et alia sensu generaliora; v. g.:

Tota igitur ratio talium largitionum (= tales largitiones omnes) vitiosa est (Cic., De Off., 2, 17).

Ratio comitiorum (= Comitia) (Cic., Maur., 17).

Iudiciorum ratio (= iudicia) (Cic., Verr., 2, 49).

In hoc genere (= in hoc) (Cic., De orat., 1, 43, 58).

Genus hoc (= Hoc) Graeci appellant allegoriam (Cic.).

3º Substantiva « animus », « corpus », « voluntas » et similia, quibus pressius designetur ea hominis pars, cui qualitas inhaeret aut ad quam refertur actio verbi; ¹ v. g.:

Timor animi (Sall., Cat., 58, 2).

Corpora usque pedes carbaso velant (Q. Curt.).

Sane vellem potuisse obsequi voluntati tuae (Cic.).

¹ Haec est synecdoche, qua pars pro toto sumitur. Cuius tropi latine fere innumeris est usus; v. g.: Ab illis principium belli (= bellum) ortum est (Tir. Liv. 32, 34, 7).

A latere alicuius non discedere (Cic.). Non chorda sonum reddit, quem vult manus et mens (Hor.).

Tua delicto stringunt pectora nostro (Ovid.).

4º Nomen substantivum in ablativo quod verbis, adiectivis, adverbii interdum additur, ad eorum sensum definiendum; v. g.:

Igni cremare (Caes., De Bel. gal., 1, 4, 1).

Bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare (Tac.).

Ingenio feroce (Tit. Liv., 21, 5, 12).

Saepe numero (Caes., De Bel. gal., 1, 33, 2).

5º Genitivi « terrarum », « gentium », post adverbia loci bene multa; v. g.:

Ubique terrarum (Cic., Phil., 13, 16, 33). Ubinam gentium sumus? (Cic., Cat., 1, § 9).

Qui virtutem adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligeretur (Cic.).

Quo hinc nunc gentium aufugiam, nescio (Plaut.).

IV. - Ad unam eamdenque notionem exprimendam, Latini duo aut etiam plura substantiva non raro usurpant, ¹ quae plerumque significatione sunt affinia; ² v. g.: *Societas* hominum et *communitas* eventatur necesse est (Cic., Off., 3, 5, 22).

Dux et magister (Cic., Verr., 3, 21, 54).

Laus et gloria (Cic., Pro Arch., 11, 28).

Donum et munus (Cic., Pro Arch., 8, 18).

V. - Antecedens interdum repetitur post relativum, praesertim substantivum

¹ Hoc fit sive ut notio pressius definitur cuiusdam gradationis ope aut ad eam magis ac diutius attendatur, sive ut oratio numerosa evadat.

² Proinde ne dicas: « Fons et regio, fons et locus ». Dic potius: « Locus et regio ».

• dies ». ¹ Imo repetendum est quoties ex eius reticentia oriatur ambiguitas; v. g.:

Dies nullus erat, Antii quum essem, quo die non melius scirem Romae quid ageretur (Cic., Att., 2, 11).

Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent (Caes., De Bel. gal., 1, 6).

Bellum tantum, quo bello omnes premebantur, Pompeius conficit (Cic., Pro Leg. manil., XII, 35).

Nullo modo animus audientis aut incitari aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit (Cic.).

Litteras misit Flaccus de villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus caudem fecerat (Cic., Pro Flac., 35).

Sancti Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

DE EUCHARISTIAE CULTU

APUD VETERES CHRISTIANOS²

In alio Eucharistiae symbolo hodie aliquantum immorabimur; in illa scilicet pictura, quae, super loco ubi erat altare collocata, fractionem panis reprezentat multisque disputationibus praebuit argumentum: fuerunt enim qui de agape in ea agi putarent, et qui eam caelestis convivii figuram esse dicerent, aut hoc simul et

¹ Relativum considerari debet ut positum inter duos casus eiusdem substantivi. Interdum reticetur prior casus, sic ut relativo proponatur substantivum eiusque casum assumat; v. gr.:

Quae dico signa, Messanam nemo venit quin viserit (Cic., De Signis, § 7).

Quibus ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ars (Cic., Brutus, § 25).

Quos cum Mario pueros miseram, epistolam mihi attulerunt (Cic., Attic., 9, 14).

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat (Cic., Tusc., 1, 18).

² Cfr. fasc. sup.

eucharisticum convivium adumbrare; sunt qui eam solummodo eucharisticam figuram existent, et quidem liturgicam; nec desunt qui dumtaxat symbolicam; denique qui partim symbolicam, partim vero res ipsas significantem; quibus quidem nos assentimur.

Pictura, ut notum est, convivium praeferat, ad quod sex convivae discubunt: quinque viri unaque mulier; sedens autem ante mensam, ad dexteram convivarum partem, septimus quidam vir barbatus panem frangit. Ad mensae latera septem sunt canistra (quattuor in dextera, tria in sinistra parte); ante vero convivas super duobus catinis quinque panes duoque pisces appositi sunt; denique iuxta virum qui panem frangit calix adest ansis instructus.

Nullum esse potest dubium quid pictura huiusmodi reprezentet: non sane convivium funebre, illud scilicet quod ad animas defunctorum iuvandas aut ad martyres honore prosequendos eorumque patronum impetrandum celebrabatur; neque caeleste convivium, ut plerumque lutheranismi assetatores arbitrati sunt; sed eucharisticum convivium, idque solum, ea pictura adumbratur. Etenim, neque panis fractio, neque panum pisciumque multiplicationis commemoratione prioribus convenit conviviis; nec denique unicus ille calix ansis instructus, qui, non secus ac cetera indicia, eucharistiam innuit. Caelestis enim mensa potatione praesertim et quasi immoderata convivarum laetitia ab eucharistico in picturis distinguitur convivio; varius insuper in huius mensae representatione numerus est discubentium; mulieres autem nunquam velatae apparent, sicut in pictura nostra; unicus denique plerumque piscis in ea appositus conspicitur.

Lequercq, eo quod convivae sint discubentes, conclusit praefata pictura significari agapen, quae, tunc temporis,

una cum eucharistia celebrabatur; utrique enim episcopus praesidebat, ac panum multiplicationis figura aequa utraque mensa adumbrari poterat.¹ Eiusmodi opinio negat igitur ibi esse eucharistiae symbolum, ubi eucharistia re atque ad unguem non sit repraesentata; sed, si ita esset, de omnibus cuiuscumque generis symbolis actum esset. Praeterea, contra eas, sane plurimas, rationes quae, allatae sunt ut turbarum refectiones eucharistiae symbola extitisse demonstraretur, unicum opponit textum saeculi incipientis quinti, secundum quem intuens quidam agapes repraesentationem, de panum multiplicatione cogitationem mente conceperit.² Non est profecto ut teramus tempus in eiusmodi nugis refutandis; interpretationem potius aggrediamur.

A S. Ignatio martyre, qui initio saeculi II floruit, scimus morem, eo quidem tempore, fuisse ut episcopus Christianorum congregationibus praesideret, panemque consecratum frangeret.³ Ex eodem Patre, insuper, compertum habemus, ne dum panem, sed etiam vinum consecratum fuisse.⁴ Clarius autem utriusque elementi consecratio a S. Iustino martyre praebetur, cuius verba ita sonant: « Atque hoc alimentum apud nos vocatur eucharistia, cuius nemini alii licet esse participi, nisi qui credit vera esse quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum, per verbum Dei caro factus, Jesus Christus, Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostrae

salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, quum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto, actisque gratiis, dixisse: *Hic est sanguis meus, ipsis que solis tradidisse.*¹

Item e S. Irenaeo: «... Mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia».²

Denique idem Pater, Marci haeretici dolos revelans, ait: «Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere et in multum extendens sermonem invocationis, purpureum et rubicundum apparere facit; ut putetur ea gratia ab iis, quae sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem eius...»³

In nostra igitur figura, virum barbatum, qui honoratiorem locum, iuxta illius temporis morem, tenet (dexterum nempe cornu), seu qui agapae praesidere videtur panemque frangit, episcopum esse haud ambigendum. Convivae autem, sicut in ceteris eucharisticae mensae figuris, non manducantes, sed manducaturi apparent; nec tamen sicut alibi, adclamantes, sed quasi inter se loquentes; necnon proprium unusquisque habitum vultumque habet et affectum significat. Sunt autem sex, sed

¹ IUSTIN., Apolog., I, c. 66. P. G. VI, 428-29.

² IRENÆUS, Contra haer., lib. V, n. 3. P. G. VII, ccl. 1125 sq.

³ Id., loc. cit., lib. I, 13, n. 2. P. G., VII, col. 579. Cfr. TERTULL., De orat., VI et Adv. Marcion, lib. III, 19; lib. IV, 40. CYPRIAN., Ep. LXIII, 1, 2, 9, 10, 11.

⁴ S. PAULINUS, Ep. XIII. P. L., t. XLI, col. 213.

⁵ Ep. ad Smyrn., n. VIII.

⁶ Ep. ad Rom., n. VII.

eorum numerus praesidentis persona compleatur; unde huic coemeterialium picturarum antiquissimae imagini, numeri septem mysticus ille adhibendus est sensus, qui in S. Scripturis et apud Patres multitudinem significat.

Denique panes quinque duoque pisces atque septem ad latera mensae disposita canistra panibus repleta, cum de symbolica picturae indole, tum vero de eucharistico eius sensu testantur. Adde calicem ansatum, qui morem calicis vini consecrati circumferendi, ut omnes *de uno calice participarent*, commemorat. De usu autem unici calicis adhibendi testis est Iustinus, qui in sua prima apologia, eucharisticam describens liturgiam, post pacis osculum, calicem ait praesidenti fratrum afferri aqua vinoque repletum; ¹ idemque ex aliis colligitur Patrum scriptis, ac praesertim ex his Apostolicarum Constitutionum verbis: «Ac Episcopus quidem tribuat oblatam, dicens: Corpus Christi, et qui recipit respondeat: Amen. Diaconus vero teneat calicem, ac tradendo dicat: Sanguis Christi calix vitae; et qui bibit, amen respondeat». ² Unius igitur calicis figuram ante praesidem omne convivii genus praeter eucharisticum excludit, idemque ipsa eius forma confirmat;

¹ De more aquam vino miscendi in calice consecrationis plura exstant, et quidem antiquissima, testimonia, et nonnisi saeculo II Patres mysticum sensum admixtioni eiusdem tribuerunt. (Cfr. IRENAEUS, *Contra haer.*, lib. V, 1. *P. G.*, VII, col. 1123, et CYPRIAN., Ep. LXIII, 13. *P. L.*, IV, 383 sq.). In Albercii carmine vinum eucharisticum κέρασμα appellatur, idest *mixtum*; et Clemens Alexandrinus id suisse Ecclesiae praeceptum affirmit: «Et iis, qui carent prudentia, iubeo, inquit sapientia scilicet iis qui versantur in haeresibus: *Panem absconsos lubenter tangite, et aquam furti dulcem*: ubi per *panem* et *aquam* eas haereses clare notat Scriptura, quae, in oblatione, pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiae canonibus praecipitur. Sunt enim qui sola aqua utuntur in Eucharistia» (CLEM. ALEX., *Strom.* I, XIX. *P. G.*, VIII, col. 814).

² *Constit. Apost.*, lib. VIII, c. 13

nam vasa quae alibi ut eucharistica aestimantur, ansis duabus plerumque praedita apparent.

Ad habitum autem gestumque conviviarum quod attinet, qui parum, iuxta Roller, Leclercq aliosque, eucharistiam sumentibus conveniret, respondere licet. nondum ibi eucharistiam distribui, neque sumi, et quum nondum esset tunc temporia agape ab eucharistia separata, bene potuit agapes cogitatio permanere, licet mensae adiuncta omnino eucharistiam indicent. Alioquin, si ipse Iustinus, qui in sua apologia inauditas omnino res profanis revelavit, ritum eucharistiae sumenda prorsus omisit, aliquique auctores ad usque saeculum fere nihil de eodem protulere; curnam ritum tam sedulo occultatum debuissent Christiani pictores profanorum oculis prodere? Id enim ex auctoribus priorum trium saeculorum dumtaxat colligitur, nempe corpus Christi manibus suis fideles recepisse; nam in Tertulliano legimus: « Ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens: Christianum ab idolis in ecclesiam venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, ... eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora confundunt? » Id autem iam ante Tertullianum affirmatum invenimus, scilicet in Pectorii pigrimate, in quo legitur:

*Salvatoris sanctorum, dulce ut mel, sume cibum,
Manduca ardenter, pisces tenens manibus.*

Neque aliter Iustinus innuit quum dicat:
Quando praeses precem eucharisticam
osolvit, omnis populus respondet: Amen;
aconi vero, ita enim apud nos (ministri)
cantur, unicuique eucharistiam distri-
unt assistentium, panem scilicet vinum-
e aquae mixtum, super quo formula
charistica prolata est ». ²

¹ TERTULL., *De idolis*, c. VIII

² IUSTINUS, *Apol.*, I, c. LXV

Nec quidquam aliud est quod, ante saeculum IV de habitu corporis in eucharistia recipienda certiores nos faciat; postea vero en quid hanc circa rem S. Cyrillus Hierosolymitanus referat: « Audiens igitur, ne expansis manuum volis, neque disiunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subiiciens dexteræ, utpote regem suscepturae; et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: Amen. Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe; ad vigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris diminutum puta... Tum vero, post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus. sed pronus, et adorationis et venerationis in modum dicens: Amen, sanctifieris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et quum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attin gens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifies». ¹

Quum autem, ut modo dictum est, de
habitu gestuque Christianorum, tribus
prioribus saeculis, eucharistiam sub spe-
cie panis accipientium nihil, nisi dubitan-
ter, coniicere valeamus, non est proinde
cur e figurarum depictarum habitu cer-
tum repraesentationum huiusc aetatis
sensum, quoad eucharistiam, depromi-
posse arbitremur.

S. S.

¹ CYRILL. IEROSOL., XXIII, *Catech.*, c. XXI. - Verum sub specie panis tantum poterat eucharistia dominum deferri ac reservari, iuxta haec Tertullian verba (*De Oratione*, 14): «Nonne solemnior erit statuta, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est, et particatio sacrificii, et exequutio officii».

oooooooooooooooooooo

LACTANT., lib. I.

MINIMAE VOCES

ROSAE.

Ad Alafridum Bartoli
hoc tenue gratae munus amicitiae.

*O pigri autumni trepidis sub solibus ortae,
serum nupturis virginibusque decus,
quae nunc pallidulae tenues spiratis odores,
carminis exigui causa modusque, rosae,
non amor optato vos iunxit numine taedae,
non vos implicuit crinibus alma Venus.*

*Nec vos liliolis rubeas subnexuit albis
ornatura suum casta puella sinum.
Nec vos infixit genitricis nata sepulchro,
fusae dum lacrimae maesta per ora fluunt.*

*Spinigeri rami sterilem flectuntur in herbam,
nam venti subeunt hispida flabra trucis.*

*Quin nox deciduas operit nigrore corollas,
exiles calamos obruit umbra gelu.
Plumbea dum rigido densantur nubila caelo*

*tumbea dum rigido densantur nubila caelo
ac madidis campis incubat atra dies,
per nemus adversum bacchans insibilat eurus,
albicat et summis dura pruina iugis.*

*Tum procul ex animo pelluntur somnia tristis
nescio quidque gravi flebile corde gemit.
At cum purgatis sudus fit nubibus aether,
cumque redit clarum sole micante iubar,
tum spes blanditiis pertemptans pectora leni-
tunc et curarum mulcet amaritatem.*

N O X.

Humanissimo Hermanno Weller

*Sidera, fulgetis tremula quae luce, sorores
vestras in medio corde micare iuvat.
Enitet in vobis fuso sine limite risus,
semper et in vultu vividus ardor inest.
Spes, quae vota fovet, stellis succenditur*

omnia sidereo quae cupis igne calent.

*Sed qui caeruleas attingens combibit auras
audax atque poli temptat adire vias,
extremum pavitat trepidanti pectore fatum,
vel sibi deluso vulnera dira parat.*

*In pelagus cordis figit qui lumina mentis,
inspicit interius, litus in omne, iubar.
Aurea tum fidei sectatur somnia vates,
tum quae percipiat non peritura videt.
Sidera, vos estis tenebrarum clara poësis,
igneus in vestra fronte coruscat amor.
At, quae proveniunt supero de semine, luces
infusis radiis aetheris astra petunt.
Spiritus ex vobis stellas demigrat ad istas
et vigil usque novum mens vaga quaerit*

[iter.]

*O nox alta, silens, tot quae mysteria condit,
ne fuge, sed tenebris perge manere tuis!
Sol qui laeta refert iucundis dona puellis,
dissidit rutilans sol mihi triste refert.*

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

FANATICUS INDORUM ANIMUS

Quae in India fieri narrantur, et « Induismi » nomen accepere ab illo homine, qui « silentii rebellionis » auctorem se praedicavit, atque potuit ipse experiri quo res invectae fuerint, fanatici Indorum animi novum spectaculum praebent, de quo iure merito illud Horatii dici posset:

... credat Iudeus Apella,

nisi historiae firmaretur auctoritate.

Putant, exempli gratia, Indi morbos, calamitatem, mortem ipsam ex caeli ira promanare, quae hominum culpis excitetur, quaeque non nisi sacrificiis sedari possit. Huic sententiae, quae a catholicae fidei doctrina dissidere prima fronte non videatur, nihil recti ac nobilis est; nam Indi tunc solum se arbitrantur peccare, quem complexos religionis ritus non ad unguem peragunt, propterea que elucet eos meras nugas vehementer dolere, et veras culpas minime sibi conscire. Agni haedive sacrificium, ex Indorum opinione, culparum

delet maculas; sed, quum humani sanguinis praesertim effusione deos placare existiment, si forte accidat ut morbis aut calamitatibus afflictentur, se gravissimo in numina obstringunt voto. Neque opus est ut qui adversa utatur valetudine vel fortuna ipse se diis voveat; quum saepissime parentes aut sanguine coniuncti votum nuncupent.

Iamvero quum australi in India solemnia Bhadra Kāli celebrantur, quae maledicta habetur, illi offertur sacrificiorum crudelissimum ac plane infandum, quod *uncivitus* appellatur, quia fanatico, qui diro se voto in deam obstrinxit, ferrei in tergorum musculos infinguntur unci. En paucis ratio, qua, et non multos abhinc annos, barbarum ritum celebratum accepimus.

In quodam australis Indiae loco, cui nomen Kollangodu, non longe a mari, templum exstat Bhadra Kāli sacrum, quo per aspera ex longinquis regionibus pridie kalendas Aprilis innumerabiles viri, mulieres puerique convenient. Deae simulacrum auro gemmisque exornatum, ac pene obductum, plurimi sacerdotes obsequio cultuque prosequuntur, qui dona etiam ex peregrinis templum adeuntibus magna animi contentione excipiunt. Interea qui ad unci ritum designantur, pavonis pennis, sericis aureisque lemniscis exornati, elati que laetitia hac illac, tibis atque *tam-tam* obstrepenibus, salire, choreas ducere, sibi frontem et pectus manibus percutere ac pene insanire. Quod non solum ex furore fanatico, verum etiam ex copioso proficiunt licore, quo guttur irrorant, ut sensus obtundant. Non procul a templo currus ad sacrificium paratur, turri quadratae ex trabibus inter se connexis exstructae fere persimilis, quae quattuor rotis veluti basi innixa est. Summae turri trabs adhaeret immanis magnitudinis, quae tollenonis instar attolli vel deprimi potest. Trabis extrema funibus devinciuntur, quarum anterioribus unci inhaerent ferrei, poste-

rioribus vero trabes pro opportunitate extollitur vel demittitur. Statuta hora victimae lumbos, ut Horatii verbis utar, fuste dolant sacerdotes, qui ab incepto minime desistunt, nisi verberibus iam terga tumuerint, quo facilius in ea ferrei unci pervadant. Deinde, trabe in solum inclinata, in timidos patientis musculos unci infinguntur, eique clypeus atque ensis, ad gloriam nescio an ad ludibrium, a sacerdotibus rite traduntur. Continuo funibus extollitur tolleno, adeo ut miser in aera suspensus, sti horrendum exhibeat spectaculum adstantibus, quorum plausu atque insano clamore litora undique resonent. Tunc omnes certatim funes arripiunt, quibus utrumque currus latus vincitur, illumine, vocum musicorumque instrumentorum increbrescente strepitu, circa templum Bhadra Kāli plures vehunt ac raptant. Quae dira interea tormenta perpetiatur, qui ex trabe pendeat, me verba deficiunt, ut ostendam. Unci ritus tot iteratur, quot adsunt fanatici, qui crudeli se voto in sanguinis caedisque cupidam deam obstrinxerunt. Addendum, non semper iis, qui uncorum perferunt tormenta, clypeum atque ensem tradi, quibus saepenumero infantem vel tenerrimum puerum suffecitos esse scimus, ut plene perfecteque votum a parentibus expleretur, qui se non modo, sed etiam filiolos diro voverint numeri.

Notandum etiam Indos haud raro per alios fanaticos votum solvere, qui pro perferendis uncorum tormentis pecunia donisque cumulari solent.

Recens vero, Anglorum iussu Indianum gubernantium, unci ritus crudelitas immunita ac quodammodo lenita est. Qui enim nunc adhibentur unci, tametsi duplicati, minoris sunt magnitudinis, pondusque corporis eorum, qui se victimas Bhadra Kāli praebent, restibus magis, quam uncis sustinetur, qui tamen in fanaticorum terga infigi non desinunt.

Neque minus crudele sacrificium deae in templo offertur, ubi non paucis pueris per ipsos parentes, qui vota nuncuparunt, ad aram ductis filum ex metallo chirurgi acui simile in lateris musculos a sacerdotibus infigitur. Fili extrema tenues deviciunt funes, quibus filoli ab ipsis parentibus circa terribilis deae templum rite pluries raptantur, dum vehementes misericordum ululatus spectantium clamore atque instrumentorum strepitu plane obruuntur.

Ceterum, non multos ante annos, quum sollemnia dei Juggernaut celebrarentur, sub peringentis gravissimique curri rotas, quo numen vehebatur, se prosternere certabant Indi, ut hostiae Juggernaut gratae, plane confringerentur. Neque putandum est hanc barbarem consuetudinem tam facile ex Indorum animis suis convulsam ab Anglis, qui quum verbera frustra adhibuerint, fanaticos ex curri Juggernaut rotis vix vehementissimo equitum impetu prohibere potuerunt.

Quot quantaque beneficia civili hominum communitatibus Indis proficerentur, si, qua pollut, incredibilem et animi et corporis vim in diuturnis vehementibusque tormentis perferendis, eam ad altiora suscipienda ultro adhiberent!

H.

DE INITIIS ET DE PROGRESSU REI CATHOLICAE

INTER GENTES IAPONIAE¹

Itaque primi tolluntur illi viginti sex martyres, qui anno 1597, Idibus Februario, Nagasaki in crucem acti, hastis transfixi sunt. Quod eo suppicio Taico ceteros Christianos terreri putaverat, contra accidit. Nunquam maiore studio illi Chri-

¹ Cfr. fasc. sup.

stiani ferebantur in martyrium. Fuerunt inter Christianos principes, qui ne optatam praetermitterent occasionem, Kyotonem contenderent, in his Takayama, vir egregius, et quidam ipsius Taiconis necessarius. Primariae feminae, quo magnificientiores ducerentur in triumpho, festivam parabant vestem. Omnes sacris precibus atque ieiunio suppliciis se pares faciebant. Sed Taico satis habebat sustulisse viginti sex. Qui anno interiecto mortuus est.

Jeyasu, qui in eius locum successit, etsi quibusdam locis premebantur iniuriis, non nimium vexavit Christianos. Neque tamen nequicquam vitam prodegerant. Uno anno 1599 septuaginta millia hominum accensi Christo sunt, tamque cito religio nostra in omnes Iaponiae provincias permanavit, ut universus Christi populus tum plus decies centena millia capitum fuerit. Sed iam conflabantur hostilia.

Post medium saeculum sextum decimum, Lusitanorum et Hispanorum mercatores ex Iaponum commercio lucrum faciebant non tenuerunt. Hos mercatores Angli et Batavi, ineunte saeculo septimo decimo in Iaponiam ingressi, vincere, et omnia commercii commoda in se transferre instituunt. Illa moti avaritia, partim etiam religionis catholicae ducti odio, ut cum Lusitanis et Hispanis etiam propagatores fidei expellerentur — nam missionarii omnes fere, Ignatii, Francisci, Dominici, Augustini filii, Hispani erant — non destiterunt Jeyasu principis in missionarios excitare invidiam. Nec illi frustra. Nam quae anno 1613 ab Jeyasu inchoata, ab Hidetada et ab Jemitsu continuata persecutio est, tam cruenta et crudelis, tam pertinax et insidiosa fuit, ut nunquam acerbiore Ecclesiam dicas afflictam. Non igni et gladio tyrannus contentus erat. Ut Christiani vel Christi rem proderent, vel lento perirent suppicio, durum ingenium nova sollerter excogitabant tormentorum genera.

His tota corpora compungebantur spi-


culis, ardentibus facibus torrebantur vel verberabantur, quoad apparerent soluta carne ossa. Vellebantur digitorum unguis, terebrabantur crura et brachia, adigebantur sub miserorum unguis fistulae, non semel, sed eodem crudelitatis exemplo identidem compluribus diebus continuis. Torquebantur eis lente brachia, dum ex commissuris evulsa essent suis, desecabantur ex ordine digiti, lento titione per omnes artus ducto in seram mortem urebantur. Constitutum erat carnificibus nullam misericordiam dare requiem, et variante poena totos saepe eos dies optata mors remorata est. Quidam in soveas abiecti sunt venenosis refertas serpentibus; in regionibus ad septemptriones vergentibus in gelida mersi aqua stabant dum absument, essent frigore; in partibus meridianis vel in flammea montium ignivomorum ora praecipitabantur, vel in ferventes sulfureorum fontium aquas contrudebantur. Alii suspensis pedibus capita demittebant in lacus teterrimarum sordium. Ardens sulfur quoque patiebantur vel aliam intolerabilis foetoris immanitatem. Quidquid unquam crudelitatis ab hominibus excogitatum erat, hoc omne in Christianis Iaponibus est expromptum.

Et illis quidem temporibus non mirum est, si qui horrendis cruciatibus cesserunt, cuius eos debilitatis postea poenituit. Fuerunt etiam in tanto numero proditores. Sed universum illud Christianum genus incredibilem prae se tulit in istis ardoribus persecutionis animi magnitudinem. Millia se in omnibus regni illius partibus trucidari potius, quam a Christo deficere maluerunt. Quibus quum addiderimus illa millia, qui partim in vinculis, partim in exilio tum pro religione Christi mortem occubuerunt, huius persecutionis, cui par altera inventiri non potest, victimarum cum Takegoshi, Iapone scriptore, circiter ducentorum quinquaginta millionum summam fuisse vere dixerimus.

Deinde ex anno 1613 Iaponia ceteris nationibus clausa erat, et ita clausa erat, ut neque, qui ex aliena terra venerat, in Iaponiae admitteretur oram, neque cuiquam Iaponi, interposita mortis poena, in aliena terra pedem ponere licet. Quin etiam, ne quis maritimum cogitaret iter, maiora navigia destructa sunt. Magnis mercedibus cives invitabantur, ut missionarios et Christianos ad magistratus deferrent, in titulo religionis censu annuo, qui apud praetores urbium et pagorum non terebant pedibus Christianam imaginem, moriebantur. Et tamen saepe, ut annis 1642, 1643, 1708, Evangelii praecones in fines se Iaponiae insinuare conati sunt. Sed intercepti, vel concisi, vel in aeterna vincula traditi sunt. Iam nihil earum rerum, quae gerebantur inter Iapones, ad ceteras orbis gentes divulgatum est. Et quam fortunam putas fuisse florentis quondam Ecclesiae?

(Continuabitur).

A. AVENARIUS.



EX HISPANIA

Memorabilis in stadio Barcinonensi vocum et tibicinum concentus.

Ex artibus pulchrioribus, seu bonis, una, musices, ad aures dirigitur, quae, iuxta doctorem W. Nejmar, presbyterum polonum, est ars affectus exprimendi ac movendi per rhythmicam sonituum diversorum dispositionem. Inter bonas artes ad affectus excitandos maxime idonea est, et animum a molestiis abducit, a curis distrahit, ut aliquid illius iucunditatis degustet, qua homo intus perficitur, elevatur, nobilitatur. Nam, tametsi finis directus bonarum artium sit pulcritudo, tamen, velut finem indirectum, habent bonum morale,

id est, honestam animi recreationem vel interiorem hominis perfectionem.

Caelestis musicae, artis divinae, quam vocant, natura eiusque praestantes virtutes minime latent insignes musicos autores, peritosque mesochoros, qui, virtutum christianarum septi choro atque muniti, late fundentes odorem, in urbibus et populis ingenuae Catalauniae, ad alta munera aptae, pernitide florescunt. Ideo scholae cantorum prudenter hac illac institutae sunt et quotidie instituuntur, ad quas viri, iuvenes, pueri puellaeque libertissime confluunt; ex quibus densi chori, canendi periti, efformantur. Hi «nomen genericum» accipiunt ab illo Orpheo, qui lyra ab Apolline, vel, ut alii volunt, a Mercurio accepta, tam blande lusit, ut animalia, arbores et saxa dulcedine cantus alliceret, iuxta illud:

Saxa ferasque lyra movit Rhodopeius Orpheus.

Nomen vero «specificum» vel ab ipso nativo populo, vel a B. V. Maria, vel insigni Sancto, suscipiunt. Ita nuncupamus *Orpheum Catalaunicum*, qui primas inter omnes obtinet, *Vicensem*, *Montserratum*, a *Sancto Vincentio*, etc.

Itaque III Idus Iulias hi, numero supra quinquaginta, densissimum sex millium cantorum coetum constituentes, in stadium Barcinonense, amoris fraternali vicissim significandi gratia, singularia sua pandentes vexilla, congregati sunt. Concursus hominum (quadragesima nempe millia) celebris adsuit, quos idem nobilis fidei et patriae sensus ex aequore campi, ex monte et littore illac impulerat. Propterea quum cantores vocem flectebant in dulces modulos, soli natalis proprios, laetisque replebant aethereas concentibus auras, eos magna frequentia manibus plaudentibus approbat et

ingens laetitiae fertur in astra sonus.

Ingenti praesertim plausu celebrant certatim eximium phonascum, Aloisium

Millet, fama multis memoratum in oris, qui, summe affectatus, non modo exspectationi respondit, sed eam plane vicit: nam sex cantorum millibus facillime optime dominatus est.

Una cum cantibus purpureum lucis iubar, tamquam verae gloriae praesagium, enitere super urbem Barcinonensem visum est, et in amoenissimo monte Iovio gaudia vera, authentica, ferme eloquentia, e vivis purisque animi sensibus, omnem suspicionem propulsantibus, orta, blando vultu, laetis vocibus et geminatis plausibus palam ostensa sunt. Cantus, nobili sua vehementia, desideria, studia, amores non obscure aperuit intimos, quae mox esse redolentes flores indutura, spe non inani multum capti, confidimus.

Magnus hominum numerus in stadio arto fraternitatis vinculo congregatus, vim populi Catalaunici, in suis fatis fidem habentis, significavit et simul suam voluntatem firmo progrediendi pede ad praefixum progressus propositum.

Coetus orpheonici Catalauniae praeclarum et mirabile sunt exemplum «idealismi», tenacitatis et constantiae, et simul velut «apotheosis internationalis» certaminis Barcinonensis, in quo artium recensissima quaeque demirantibus civibus et advenis proposita fuerunt.

Vici, in Hispania.

I. FONTS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

De quibusdam novis verbis in latinum sermonem inducendis.

ANDREAS HABERL EMMANUELI JOVÉ SUO SALUTEM.

Nos est, quin, si omnes tam rari tamque tardi ad scribendas epistolas adducantur, multi eorum, qui hodie rem vehiculariam administrant, ad comparandum vic-

tum alium quempiam quaestum cogantur occipere. Dum vero ex scrinio expiscor postremas litteras tuas responsonem flagitantes, in mentem venit, quod quondam per iocum quidam uni ex nostris: «Quando ita tu agis; tibi sim auctor, ut apud praetorem profiteare tuum ex Caucasio hominum genere discussum.» Ne id mihi facendum putem, et magnum negotiorum his mensibus subeundorum pondus facit, et tua in iustis accipiendis excusationibus perspecta mihi facilitas. Neque tamen, quod post diuturnum silentium loqui coepi, tuarum humanitati litterarum eram responsum: in aliud tempus procrastinato responso, unum eram dicturus, quod ad *violinam* pertineret. *Violine* instrumentum Germani dicimus, quod eodem vocare soleo nomine in sermone latino *violinam*. Neque unquam cogitavi aliud, nisi id genus nominis duci ex quadam foliorum violae similitudine. Larousse meus derivavit a provinciali voce, quae esset *viula*, quae quid esset, addere supersedit. Rem cogor relinquere in dubio, nam nimium est ioci, quod modo mihi ad rem eam adeunt maiorem Herderi encyclopaediam: *Violino*, inquit ridens, ductum est a vi et a linendo, quod id cistarum genus vi linatur. Fugerat hominem violinae fides non lini, sed mulceri, equina seta.

Nunc autem interrogaturus eram, quidnam tibi essent latine illa horologia, quorum nos certis temporis punctis ex gratissimo somno turbamur strepitu. *Reveille-matin* sibi composuit Gallus.

Deinde, quo uberior et quo maturius et quo elegantioribus vocalium et consonantium signis ad amicos scriberem, emendum curavi *dactylographiolum* et hercle aliquem iam utendo comparavi usum. Nuper igitur, dum in maiore vocabulario nescio quid investigo, incidi in verbum *pangendi*. Em tibi, inquam, hoc verbo deinceps utemur pro machinaria scriptura. Posthac ego Italiae atque Hispaniae amicis

aliquid pangam, vel aliquid compingam. Sic hanc ad te panxi epistolam, Fontio, celeberrimo huius aetatis poëtae, aliquid aliquando epistolae pangetur. Mihi vero pangendi voce ipse machinulae sonus reddi videtur. Sed, ne vocis captus amore ineptirem, tuum exspectandum mihi statui iudicium. Sed tabellarius iam hortatur, ut scribam. Vale.

xii Kal. Sept. MCMXXX.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive paecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctribus collecta.¹

§ 308. — Qui ulcera in cruribus, aliisque in partibus gerunt, si generosum biberint vinum, eodem vix ingestu, plaga inflammatur.

§ 309. — In febribus syncopalibus, vertiginosis, et singultosis, quarum causa est acre quid corrosivum tunicis stomachi impactum, easdem crispando ac vellificando, gravissima mala producuntur, communicata capiti, cordi et diaphragmati, vehementi ac morbosa oscillatione. Unicum remedium est emeticum ex oleo amygdalarum dulcium, quod et fibras crispatas laxat, et acre cicurit, lenitque.

§ 310. — Saepe observavi in calculosis pulsus manus reni affecto respondentis parvum esse, depressumque (BAGLIVIUS).

§ 311. — In nephritide quoque, qua parte est calculus, eadem succedit in capite hemiceranica. Et in pleuritide pulsus ex parte lateris affecti depressus magis observatur, quam ex parte sani. Idem forsitan succedit in doloribus aliarum partium.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 312. — Pulsus parvus in maximis doloribus neminem deterreat; familiaris enim est iis, oriturque vitio solidi vasorum, fibrarumque irritati, crispaticque, non vero fluidi.

§ 313. — Erumpentibus dentibus in pueris lactantibus, gravia succidunt symptoma vitio solidi tantum.

§ 314. — Incipientes oscillationes spasmodicae in mesenterio, in hysteris, si successive cerebro communicentur, excitant in eo vertigines, vel dolores, sopores aliasque similes affectiones.

§ 315. — Quum morbi convulsivi, e. g. hysterici, in vitio solidorum potissimum resideant; hinc sanari debent iuxta regulas solidi curativas.

§ 316. — Vidi calculum magnum in renibus, et tamen patiens, in vita, de nullo renum dolore unquam conquestus est, sed tantummodo de gravi ac vehementissimo genuum.

§ 317. — Quibus in praecordiorum dextra aut sinistra parte tenditur aliquid in febri, cum dolore capitis, idque neque cum dolore praecordiorum, neque cum inflammatione, sanguis e naribus fluet. (*Hippocr.* in Lib. *praenot.*, n. 25)

(Ad proximum numerum).

ANNALES

In Rumenia.

Dies quo novus Rumenorum rex Carolus II coronetur, nondum est praefinitus, interque dilationis causas eam quoque esse aiunt, Helenam Caroli uxorem, renuere sese, divortii decreto rescisso, marito iterum coniungere; quin etiam praferre inter monasterii claustra se vitam finire. Ultimum verbum tamen de re non est dictum.

Civilia bella.

Civile bellum in Sinis vehementius postremo hoc tempore saevit, cuius victi, mae plures Christi nominis praeconum stationes etiam factae sunt: tempa domus que solo aequantur, incenduntur; sacerdotes et piae virgines in vincula detrusi vel ad fugam coacti; nec valuit semper legatorum variarum civitatum intervenitus ad huiusmodi casibus occurrentum.

Remissi pariter non sunt Indorum motus, quibus et Afganistanorum additi. Utrinque est imo varia fortuna decertatum.

Motus quoque et in Gallia hic illic surrexere ex operariorum ab operibus suis desertionibus; quae vero iam defecisse nunciantur.

Denique gravis sedatio in Peruana re-publica agitatur. Civitatis praeses, repetundarum accusatus, fugam in mari capessit; sed quum rebelles eum inseguiri essent, attigissent, captivumque fecissent, in custodiam coniecerunt. Qui vero rerum summa potitus est, is brevi abdicare coactus est; deinde militaris dictatura est suffecta, quae res ad quietem reductura omnes confidunt, suo iure cuique redditio. Quum denique sedatio ab Arequipae civitatis in-colis initium habuisse, hi nunc id quoque repetunt, ut haec urbs, Limae loco, civitatis caput declaretur.

Belgarum feriae.

Magna cum universi populi laetitia sollemnia in Belgica peracta sunt, centenaria die recurrente, ex quo Belgarum natio sui iuris facta est; eoque magis quod recens memoria est periculorum, cui in Europaeo bello obiecta fuit. Feriae novam occasionem Belgicis civibus obtulere sese arctioribus vinculis regali heroicae familliae adstringendi. Superi in dies fortunent!

POPLICOLA.

¹ Ex historiis I. P. MAFFEI.**VARIA****Sinarum mores.¹**

Sunt Sinarum populi (quemadmodum eiusdem plagae alii) prout ad septentrionem vel ad meridiem vergunt, magis aut minus aeneo colore, vel candido: simis naribus, exigui admodum ocellis, rara barba, longis crinibus, quos accurate comptos, et in verticem coactos illaqueant, et oblongum ex argento clavum in laqueum inserunt. Neque tamen una est omnibus capillamenti ratio: quippe caelibes comam a fronte discriminant; mariti confundunt; atque haec praecipua nota utrumque distinguit. Primarii ac divites, quiue militiam exercunt, versicolore serico; plebeii ac pauores, lino, seu gossipio tegunt corpora; nam apud Sinas lana, quum maxime suppetat, minime textitur. Sagis ad veterem Hispaniae consuetudinem utuntur, media sui parte crispis ac rugosis; ceterum fusa et explicata lacinia, et laxis manicis; ipsum vero sagum ab laeva parte confibulant.

Accedit talaris tunica, quam qui e regia sunt stirpe vel superiore aliquo magistratu funguntur, circa baltheum maxime; ceteri limbo tenus acu pingunt. Caput operiunt praecelso ac rotundo pileo, e tenuissimis virgulis atro filo praetextis. Caligas induunt affabre factas, et elegantes cothurnos, aut calceos bombycino ostragulo perpolitos. Vestimenta per hyemem pretiosis murium Scythicorum pellibus, quas vulgo *martas*, vel *sabellinas* vocamus, calore admodum suavi, et ventis impenetrabili densitate soffulcent, iisdemque separatim pellibus circumfovent colla. Molestias flatuum, munitis egregie fenestris ac specularibus, prohibent. Per aestatem vero, ad reliqua remedia caloribus leniendis, illud etiam accedit: subterraneos idoneo loco

effodiunt specus: inde conceptam auram, intensorem aut remissionem, prout libuerit, per omnes aedium partes admirabili machinatione dispensant.

Mulieres circa curam capitum multae sunt: crines diu pexos concinnatosque in summo circumligant vitta, gemmis auroque distincta; reliqui corporis ornatus, minime lascivus. Praecipuam decoris ac formae laudem in pedum brevitate et exilitate constituunt: atque ob id ipsum, tenuillos ab infantia fasciis perquam arcta constringunt. Magnus apud nobiles matronas honos pudicitiae; raro visuntur, nec in publicum prodeunt, nisi gestatoria sella, praetentis ex omni parte velis, et, occultae speculationis causa, reticulatis ex ebore fenestellis ad latera appositis; succollant servi, magna undique stipante familia. Deprehensum adulterium aequo viri ac foeminae, capite luitur. Ad nuptias, dotem non viro femina, sed vir faeminae desert. Singulæ uxores in matris familias numerantur loco.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Iusculum regium.
*Panis frusta cum cerebris vitulinis frictis.**Artocreas ex cucurbitulis.*
*Anates et pipiones veru assa; Ace-taria.**Lac amygdalinum gelu constrictum.***Iocosa.**

TUCCIUS ferarum collectionem invit.

Rediens et matri de iisdem referens:

— At, quod mirum maxime, equum illuc vidi balneari veste indutum!...

TUCCIUS de zebra loquebatur!

TUGCIUS ad piscandum hamo cigarrii tuscici frustulum applicuit. Interrogat pater:

— Ecquo escarum genere vis uti?

— Scilicet ut experiar an pisces iam fumosos capere possim!

Apicula.

Animadvertis apicula fucus copia non minore vitam degere, quam numerosissimum genus apicularum, eos imitari et non magis opus facere velle decrevit. Et quum quasi pensum quotidianum ab illa exigeretur, desertis suis, ad fucus transit interque illorum fulta, suppetente etiam ubique pabulo, aestatem commode transegit. Sub hyemis autem frigora, fuci in suas lamulas disperguntur, et se quasi sepeliunt intra cavernas. Apicula igitur revolare ad genus suum, et alvearia repetere; verum omnibus foraminibus et ostiolis alveorum obturatis, celeriter gelu hyemis et imbribus oppressa interit.

Fabula contra fugam laborum et desidiam narrari poterit.

Aenigmata

(a socio TH. GARRIDO proposita).

I.

Altera cum prima nomen muliebre figurat;
tertia nos rectos sustinet atque movet,
cui tamen ut primam preponis, protinus ecce te dapibus recreans dulcibus agmen adest.
Quid totum rogitas, lector, sit? Nuncius alti fertur ab antiquis vatibus esse lovis.

II.

Utilis est rebus servandis prima-secunda;
convenit extremae iuncta secunda seni.
Imae prima comes florentem praeterit urbem;
rem totum occultam, lector amice, notat.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Pa-pa-ver*; *Ma-rus*, *Me-rus*, *Mi-rus*, *Mo-rus*, *Mu-rus*.

AD SEPULCRUM [7]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

ISA. Volant quot angeli ferentes calicem!
IEREM. Crucem fulgentem, coronamque spi-

[neam! DAVID: Veste divisas!

Is. Monumentum video
Quod antea dixi praecinctum gloria!

IER. Eamus obvii, clamitantes decus,
Triumphum, virum, venit qui cum
[meritis

Et e sepulcro mox refulgens exiit.

MOIS. Illuc eundum!

Omnes: Modo triumphantium!¹

SCENA IX.

Multi CIVES supergrediuntur; PETRUS et
IOANNES.

PETR. Hic est locus... Virum, qui nuper vene-

[rat,
Loquentem quaero; quo sit prefectus,
[nescio.

Quot torvo dixit mihi supercilio!

Iesum vix dixeram, raptim disparuit.

Novum quod in caelis paret spectacu-

[lum?

IOAN. Ais quid, Petre?

PETR. Nae, videre videor
In caelis quidquam, quod non vidi

[neutquam!

IOAN. Viri vagantur, quaerunt curiosius,
Submissa voce quotque verba mussi-

[tant!...

Volunt enim quid? Usque illuc adspici-

[ciunt

Suis trementes admodum praecordiis.

Eamus ultra... Nos enim respiciunt.²

¹ Exeunt.

² Auscultant.

PETR. Eius forte norunt esse nos discipulos!

Audisti?

IOAN. Quid? Nescio.

PETR. Dicunt...

IOAN. Quid?

PETR. Milites

Ad monumenti positos custodiam...

IOAN. Dicunt...

PETR. Exisse vivum.

IOAN. Quod miraculum!

PETR. Multisque radiis corpus circumdatum.

IOAN. Et ipsos...

PETR. Magna captos sed formidine,

Redisse in urbem, relictis et gladiis,

Et ipsis galeis lanceisque positis...

IOAN. Quid Scribae in perfidos statuere mi-

[lites?

PETR. Vetarunt verbum de Magistro dicenter;

Imo sunt magnum praemium polliciti

Silentium sumnum si tenerent dum-

[modo.

SCENA X.

CIVES, MILITES et DICTI.

En ipsi redeunt; respiciunt pallidi,

Huc, illuc, veluti ferant se culpabiles.

CIV. I. Audisti?

II. Quid? forte terrarum strepitum?

Audivi, et pavidus desilii de lectulo,

Et omnis adfuit mecum familia!

I. Rerum sed cumulus qui brevi tem-

[pore!

(*Ad proximum numerum.*)

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

